



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 75. Libellus Supplex Regi a Clero porrectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.
„rico felicitis recordationis secundo sex
„omnino decimæ Clero fuerint impo-
„sitæ: ast præterea considerandum,
„quod tum adeo gravis obversata sit
„necessitas, ut hostis jamjam præ fo-
„ribus, ac regnum proximo periculo
„expositum esset: si idem quoque ur-
„geret eventus, etiam calices, atque
„argentea Ecclesiæ vasa pro Regni in-
„columitate venderemus: verum cum
„ejusmodi necessitas nequaquam nunc
„institat, perniciosi exempli res est, bona
„Ecclesiastica ad profanos usus impen-
„dere. „ His dictis Archipræsul ora-
„tioni suæ finem imposuit, hæc sub-
„jungens: „Majestati vestræ suppli-
„camus, ut ad proxima Cleri comitia
„hujus negotii decisionem remittere, vel
„trecentis librarum millibus, per quæ
„vendita Ecclesiarum bona redimantur,
„contenta esse velit. „ Perceptis hisce
rationibus Rex nonnisi unicam exige-
bat decimam, quæ solitis duabus so-
lutionibus penderetur, alterum vero
caput de redimendis Ecclesiarum præ-
diis condonabat.

§. LXXV.

*Libellus supplex Regi a Clero por-
rectus.*

Sequenti die decima nona Julii Clerus
una congregatus Regi libellum sup-
plicem

plicem porrigebat, quo sacrum Ordinem ab omni nova exactione immunem servari rogabat, simulque precabatur, ut pacta circa solvendos Prætorii redditus inita ad effectum deduci juberet, aut contractus, quibus Ecclesiæ bona inique fuerunt divendita, rescindi permetteret, ut ex recuperatis hisce bonis tercenties quinquaginta librarum millia pendi queant, hancque pecuniam colligendi potestatem Rex quibusdam deleget: verum ad hæc respondit Henricus III. quod hos contractus rescindi, lubens concedat, dummodo currente hoc anno una decima cum dimidia, seu centies quinquaginta aureorum millia præter alia centum ejusdem monetæ millia in proximis Cleri comitiis pendantur: cum ergo Clerus hanc vexationem haud meliori modo redimere posset, tandem Regis petito annuit, hacque ratione die decima sexta Augusti suis comitiis finem imposuit.

§. LXXVI.

Andegavensis Ducis obitus.

Idem Rex hoc anno Andegavensem Ducem Fratrem suum, die decima Junii defunctum, amiserat, exiguo prorsus ipsius luctu, ac mærore: porro hic idem Dux nonnisi triginta ætatis suæ

Hist. Eccles. Tom. L. K annos,

Sæcul. XVI.
A. C. 1584.